



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

VI. Ad intrantes exercitia octiduana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

EXHORTATIUNCULA VI.

Pro intrantibus octiduana Exercitia sacra,

I.

Quorsum? O devota anima! Ergo abdita, & deserta petitis? Siccine à terrenis ad cœlestia? Ab humanis ad divina? à transitoriis ad immortalia, æterna properatis? Bene est! Precor beatum iter! Pergite, quò vos vocat Deus, & tota cœlestis curia! Pergite! Sed non sine socio! Sine comite fideli! Quis autem ille? Non alius, quàm viva fides, spes firma, charitas ardentissima. Fugient inimici, ubi tantus comitatus à latere. Jam currite! Properate! Sponsus venit! Sponsus clamat! Sponsus en! En! jam aperit, & intrat.

Instructio meritoria.

Pro felici sacrae solitudinis auspicio recitemus illa septem O Majora, quæ post Dominicam tertiam in Adventu invenienda. Addamus quoque hymnum de Spiritu Sancto: *Veni S. Spiritus! &c. Veni Pater pauperum &c.* cum collecta: *Deus, qui corda fidelium &c.* Fili! Non sumus sufficientes cogitare aliquid boni à nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia ex Deo est. Ergo clama! Ora! Ne cesses.

II.

Solus vult loqui nobiscum Deus. Ecce! Ego lactabo eam, & ducam in solitudinem, & loquor ad cor ejus. Fili! Ambula igitur cum Deo

Deo, & esto perfectus, continuò recollectus in Dei præsentia penitus absorptus, tibi, sensibus, & sæculo mortuus. Et cur hoc? Respondet S. Aug. *Magna profectò nobis est indita necessitas justè, & rectè vivendi, qui cuncta facimus ante oculos Judicis cuncta cernentis. Deus te videt: Et sanctus non sis?*

Instructio meritoria.

Cogitationes ex sæculo quàm primùm senserimus importunas animæ, statim allidamus ad vulnera Jesu, genua flectendò, & ex D. August. suspirandò: Domine Jesu! Per illa SS. Vulnera, quæ amor nostri tibi impressit in Cruce, quæsumus, tuo famulo subveni, quem pretioso sanguine redemisti. Audiet Jesus, & totus ibit in obsequia.

III.

Fili! Ut video, audiit Christum monentem: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia! Veni, & sequere me. Sed attendat! Etiam fugientes sequitur mundus; etiam in solitudine advertuntur insidiæ. Ubique tentationes; ubique dæmon, & caro. Caveat, ne cadat. Sed simus sinè metu! Qui mundum vicimus in mundo, etiam in eremo triumphemus. Quomodo? Humilitate, oratione, austeritate, & Jesu invocatione.

Instructio meritoria.

Ita rigidè vivamus solitarii, ut per has octo dies integras nec hominem voluntariè aspexerimus, nec verbulum cum ullo perdiderimus sinè casu

casu necessitatis. Urbs cadet, utut munitissima, ad quam aditus inimicis patet per portas apertas. Lingua muta, & clausus oculus sunt magnæ sanctitatis instrumenta. Pro horum perfecta mortificatione in venerationem omnium sensuum, & membrorum in Christo JESU oremus 50. Pater, & Ave cum Lytaniis de Illius nomine potentissimo. Unde excisi, inde & sanctificati sumus.

EXHORTATIUNCULA VII.

Pro Solenniter Profitentibus, & tria
Vota emittentibus.

I.

Fili! Sponse! Qualis hæc dies? Quàm nobile, & pretiosum vobis imminet tempus! O si nunc daretur mentis oculò cæli penetrare palatia! Quid ambo cerneremus? Occurreret vobis SSS. Trinitas, ut Pater æternus vos in filium, Christus JESUS in fratrem suum, & Spiritus Sanctus in sponsam dulci osculò, & amplexu arctissimo adoptaret. O diem, quam verè fecit Deus, exultemus, & lætemur in ea.

Instructio meritoria.

Ne grato unquam excidat animo, ad trina signa angelicæ Salutationis quàm devotissimè flectamus, & ad tria Ave quotidie solemnia vota renovemus, cum repetita protestatione: *Tædeat me gaudere sine te: Et delectet me multa pati pro te: Sit mihi nomen tuum mea refocillatio,*